

DISTINCTIO XXVI.

De gratia operante, & cooperante.

HÆC est gratia operans, & cooperans. Operans enim gratia præparat hominis voluntatem, ut velit bonum; gratia cooperans adjuvat, ne frustra velit. Unde Augustinus in Lib. de gratia & libero arbitrio, cap. xvii. „Cooperando Deus perficit in nobis quod operando incipit. Quia ipse ut velimus operatur incipiens, quod volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur. Tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Ecce his verbis satis aperitur, quæ sit operans gratia, & quæ cooperans. Operans enim est quæ prævenit voluntatem bonam: ea enim liberatur, & præparatur hominis voluntas, ut sit bona, bonumque efficaciter velit. Cooperans vero gratia voluntatem jam bonam sequitur adjuvando. Unde Augustinus contra Julianum hæreticum, qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tantum esse dicebat, atque hominem per liberum arbitrium posse bonum velle, & operari sine gratia assererat, ait: „Apertam de commendatione gratiæ Apostolus protulit sententiam cum ait, Rom. ix. 16. „Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Hoc si attenderes, Juliane, (1) non extenderes, contra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideo miseretur Deus alicujus, quia voluit, & currit; sed ideo voluit, & cucurrit, quia miseratus est Deus. Præparatur enim hominis voluntas à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur. (2) Ideoque congrue ait: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Non quia hoc sine nostra voluntate agatur; sed quia voluntas nostra nil non agit, nisi divinitus adjuvetur. (3) Unde alibi Apostolus ait, I. Corinth. xv. 10. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Non ideo hoc dicit, quia nihil boni agebat; sed quia nihil boni ageret, si illa non adjuvaret. His testimoniis aperte insinuat, quia voluntas hominis gratia Dei prævenitur, atque præparatur, ut fiat bona, non ut fiat voluntas. Quia & ante gratiam voluntas erat; sed non erat bona, & recta voluntas. Voluntatem ipsam Augustinus in Lib. de duabus Animabus, cap. x. ita diffinit: „Voluntas est animi motus, cogente nullo, ad aliquid (4) non admittendum, vel adipiscendum. Hæc autem ut non admittat malum, vel adipiscatur bonum, prævenitur, & præparatur Dei gratia. Unde Apostolus gratiam prævenientem, & subsequentem commendans, id est operantem, & cooperantem, vigilanter dixit, Rom. ix. 16. „Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: „& non è converso: Non est miserentis Dei, sed volentis, & currentis. Nam si, ut quibusdam placuit, quod dictum est, ita accipiatur: „Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei; tamquam diceretur: Non sufficit sola voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei; è contrario dicitur: Non sufficit etiam misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. At per hoc, si recte dictum est illud, quia id voluntas hominis sola non implet, cur non etiam è contrario recte dicitur: Non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; cum id misericordia Dei sola non impleat. Homo enim credere, vel sperare non poterit, nisi velit; nec pervenire ad palmam, nisi voluntate currat. Restat ergo ut ideo ita recte dictum intelligatur, ut torum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam prævenit, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. (5) Ecce his verbis, & aliis præmissis evidenter traditur, quod voluntas hominis præparatur, & prævenitur gratia Dei, ut bonum velit, & adjuvatur, ne frustra velit.

Quod bona voluntas comitatur gratiam.

Itaque bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem. Unde Augustinus ad Bonifacium Papam, sive epist. cv. ad Paulinum, scribens contra Pelagianos, inquit: „Cum fides impetrat justificationem, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani; sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non prævia. Ecce hic expresse habes, quod gratia prævenit bonæ voluntatis meritum, & ipsa voluntas (6) bona pedissequa est gratiæ, non prævia.

Quæ sit gratia voluntatem præveniens, scilicet fides cum dilectione.

ET si diligenter intendas, nihilominus tibi monstratur quæ sit ibi gratia voluntatem præveniens, & præparans, scilicet fides cum dilectione. Ideoque Augustinus (7) in eodem tractans, quomodo justificati sumus ex fide, & tamen gratis; utrumque enim dicit Apostolus qui dicit, Rom. vi. 17. „Justificati ex fide; (8) alibi autem, Rom. 1. 11. 24. ait: „Justificati gratis per gratiam: Hoc, inquit, ideo dixit, ne fides ipsa superba sit, ne dicat sibi: Si ex fide justificati, quomodo gratis? Quod enim fides meruit, cur non potius redditur quam donatur? Non dicat ista homo fidelis: quia cum dixerit, Habeo fidem, ut merear justificationem; responderetur ei: Quid habes quod non accepisti? Fides enim, qua justificatus es, gratis tibi tradita est. Hic aperte ostenditur, quod fides est causa justificationis, & ipsa est gratia, & beneficium quo hominis prævenitur voluntas, & præparatur. Unde Augustinus in I. Libro Retractat. cap. ix. „Voluntas est qua & peccatur, & recte vivitur. Voluntas vero ipsa nisi Dei gratia liberetur à servitute, qua peccati serva facta est, & ut superet vitia adjuvetur, recte, pieque vivi à mortalibus non potest.

(1) Augustini textus Lib. I. cont. Julianum cap. cxl. non extolleret. (2) Apponit Nicolai, Et Lib. de perfec. justitiæ cap. xix. (3) Idem, Et epist. cv. (4) Augustinus non amittendum. (5) Nicolai ut in Enchir. dicit Augustinus, cap. xxxi. (6) Al. deest bona. (7) Nicolai iterum tractans. (8) Al. alibi ait: Justificati gratis per gratiam. Hoc enim ideo &c.

DISTINCTIO XXVI.

„& hoc beneficium quo liberatur, nisi eam præveniret, jam meritis daretur, & non esset gratia, quæ uti, quæ gratis datur. Prævenitur ergo bona hominis voluntas illo gratiæ beneficio quo liberatur, & præparatur; & illud beneficium recte fides Christi intelligitur, sicut Augustinus in Ench. cap. cv. evidenter ostendit dicens: „Ipsam liberum arbitrium liberandum est post illam ruinam à servitute peccati; nec omnino per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur, ut voluntas ipsa præparatur. Ecce aperte dicit gratiam per quam liberatur arbitrium, & præparatur voluntas, positam esse in fide Christi. Fides enim Christi, ut in eodem, cap. cxv. ait, impetrat quod lex imperat.

Quod voluntas bona, quæ prævenitur gratia, quædam Dei dona prævenit.

IPSA tamen eadem voluntas quædam gratiæ dona prævenit. Unde Augustinus in Enchir. cap. xxxii. „Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit, ipsa in eis est, & ipsa juvat. Nam utrumque legitur in Sanctis eloquiis, & : Misericordia ejus prævenit me, Psal. lxxviii. 11. & : Misericordia ejus subsequetur me, Psal. cxviii. 6. Nolentem quippe prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris nolentibus pie vivere, nisi ut Deus in eis operetur & velle? Itemque cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus à quo factum est ut velimus? Inde Apostolus ait, Rom. ix. 16. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Ex his apparet quod bona hominis voluntas quædam Dei dona prævenit, quia eam comitatur gratia adjuvans; & quibusdam prævenitur, quia eam prævenit gratia operans, scilicet fides cum charitate.

Quæ prædictis videntur contraria, scilicet quod videtur dici fidem esse ex voluntate.

NON est tamen ignorandum quod alibi Augustinus significare videtur, quod ex voluntate sit fides, de illo verbo Apostoli, scilicet, Corde creditur ad justitiam, ita super Joan. tractans, tract. xxvi. Ideo non simpliciter Apostolus, Rom. x. 10. ait, Creditur, sed Corde creditur: quia cætera potest homo nolens, credere autem non nisi volens. Intrare Ecclesiam, & accedere ad altare potest nolens; sed non credere. Item super Genesim, cap. xxiv. 57. ubi Laban, & Bathuel dixerunt: „Vocemus puellam, & queramus ejus voluntatem: dicit Expositor, (a) quia fides est voluntatis, non necessitatis. Ad quod respondentem dicimus, non hæc ita accipienda fore ut ex voluntate hominis fides intelligatur provenire; cum ipsa sit proprie Dei donum, ut ait Apostolus, & ex ea bona hominis merita incipiunt; per hanc enim, ut ait Augustinus super Psalmum lxxvi. justificatur impius, id est, de impio pius fit, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari, unde omnia bona merita incipiunt. Sed potius hæc ideo dicta sunt, quia non est fides, nisi in eo qui vult credere: cujus bonam voluntatem fides prævenit, non tempore, sed causa & natura. Unde Augustinus supra congruenter dixit, quia bona voluntas in eis donis est, quæ (9) præcedit, & ipsa juvat: quia ea juvat quibus prævenitur, dum eis consentit ad effectum boni; & in eis est, quia tempore ab eis non præceditur.

Quædam adhuc addit quæ graviorem faciunt questionem, scilicet quod cogitatio boni præcedit fidem.

CÆTERUM hanc questionem magis acunt, & urgent verba Augustini, quibus in Lib. de Prædestinatione Sanctorum, cap. 11. utitur, pertractans illud verbum Apostoli, II. Corinth. 111. 5. „Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis. Attendat, inquit, hic, & verba ista perpendant qui putant ex nobis esse fidei inceptum, & ex Deo esse fidei supplementum. Commendans enim istam gratiam, quæ non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita, inquit: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid boni, scilicet ex nobis. Quis autem non videat prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. Si ergo cogitare bonum non est ex nobis, ut hic Apostolus tradit, nec credere; quamquam & ipsum credere nihil est aliud quam cum assensione mentis cogitare. Hic videtur insinuare, quod cogitatio bona præcedat fidem, & ita bona voluntas præveniat fidem, non præveniatur: quod prædictis adversari videtur. Ad hoc autem dicimus, quod aliquando cogitatio bona, sive voluntas prævenit fidem; sed non est illa bona voluntas, vel cogitatio, quæ recte vivitur. Illa enim sine fide, & charitate non est. Nam, ut ait Augustinus ad Anastasium, epist. xlv. sine spiritu non est voluntas hominis libera, cum cupiditatibus vincatur: non est libera ad bonum, nisi liberata fuerit. Non autem liberatur, nisi per Spiritum Sanctum charitas diffundatur in cordibus. (10) Non est libera voluntas, nisi eam liberet gratia per legem fidei; id est, non est libera sine fide operante per dilectionem: (11) & illam sufficienter habere bonum est. Non est enim fructus bonus qui de radice charitatis non surgit. Si vero adsit fides operans per dilectionem, fit delectatio boni.

De illa cogitatione boni quæ præcedit fidem, plene disseritur.

ILLA autem cogitatio, sive voluntas, quæ fidem, & charitatem aliasque justificationes præcedit, non sufficit ad salutem, nec ea recte vivitur; & hac voluntate concupiscitur illa bona voluntas, quæ est magnum bonum, ista vero non. Alia ergo est illa voluntas, sive cogitatio; alia ista. Et sicut illa istam præcedit, ita illam prævenit intellectus. Unde Augustinus ista distinguens super illum locum Psalmi cxviii. In II. Sem. Tom. II. (9) Al. apponitur non. (10) Nicolai, item in Lib. de spiritu & littera cap. xiv. (11) In textu Magistri edit. Venetæ an. 1566. & illa sufficienter vere bona est: cum concipit Nicolajus. Ex Edit. P. NICOLAI. (a) Quod hic ut ab Expositore dictum notatur, habet Glossa interlinealis ibi, nec alibi occurrit.

Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas: Concupivi desiderare, inquit, non desideravi. Videmus enim ratione nonnunquam quam utiles sunt justificationes Dei; sed infirmitate præditi aliquando non desideramus. Prævolat ergo intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus: scimus bonum, nec delectat agere, & cupimus ut delectet. Sic iste olim desiderare concupiscebat quæ bona esse cernebat, cupiens eorum habere delectationem quorum potuit videre rationem. Ostendit (12) itaque quibus quasi gradibus ad eas perveniatur. Prius enim est ut videatur, quam sint utiles; & honestæ; deinde ut earum desiderium concupiscatur; postremo ut proficiente gratia delectet earum operatio, quarum sola ratio delectabat. Attende hunc ordinem gratiarum quem hic distincte assignat Augustinus, qualiter scilicet intellectus bonorum præcedit concupiscentiam eorumdem, & ipsa concupiscentia delectationem, quæ fit per fidem, & charitatem: qua habita, vere bona est voluntas, qua recte vivitur, ipsaque fidei comes est, non prævia. Qui verba Augustini præmissa secundum hanc distinctionem considerat, nullam ibi repugnantiam fore animadvertit, non ignorans etiam ante gratiam prævenientem, & operantem, qua voluntas bona præparatur in homine, præcedere quædam bona ex Dei gratia, & libero arbitrio, quædam etiam ex solo libero arbitrio; quibus tamen vitam non meretur, nec gratiam qua justificatur. Illius enim gratiæ percipiendæ quæ voluntatem hominis sanat, ut sanata legem impleat, nulla merita præcedunt. Ipsa est enim qua justificatur impius, idest fit justus qui prius erat impius. Meritis autem impii non gratia, sed pœna debetur, nec ista esset gratia, si non daretur gratuita. Datur autem gratuita, quia nihil boni ante feceramus unde hoc mereremur. Non negamus tamen, multa ante hanc gratiam, & præter hanc gratiam ab homine fieri bona per liberum arbitrium, ut tradit Augustinus in responsionibus contra Pelagianos, (b) ubi dicit homines per liberum arbitrium agros colere, domos ædificare, & alia plura bona facere sine gratia cooperante.

*Utrum una eademque sit gratia quæ dicitur gratia operans, & cooperans.*

**H**IC considerandum est, cum prædictum sit per gratiam operantem, & prævenientem voluntatem hominis liberari, ac præparari, ut bonum velit; & per gratiam cooperantem, & subsequentem adjuvari, ne frustra velit: utrum una & eadem sit gratia, idest unum munus gratis datum, quod operetur, & cooperetur; an diversa; alterum operans, & alterum cooperans. Quibusdam non irrationabiliter videtur quod una & eadem sit gratia, idem donum, eadem virtus, quæ operatur, & cooperatur; sed propter diversos ejus effectus dicitur operans, & cooperans. Operans enim dicitur, in quantum liberat, & præparat voluntatem hominis, ut bonum velit; cooperans, in quantum eandem adjuvat, ne frustra velit, scilicet ut opus faciat bonum: ipsa enim gratia non est otiosa, sed meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici.

#### DIVISIO TEXTUS.

**O**stenso quam scientiam, & quam potentiam homo in primo statu habuit, hic ostendit quam gratiam accepit: & dividitur in partes duas. In prima determinat de gratia in se; in secunda determinat de ea in comparatione ad statum primi hominis, *xxix. dist. Post hæc considerandum est, utrum homo ante peccatum egerit gratia operante, & cooperante.* Prima dividitur in duas. In prima determinat de gratia secundo in veritatem; in secunda removet quosdam errores circa gratiam, *xxviii. dist. Id vero inconcusse, & incunctanter teneamus.* Prima dividitur in duas. In prima determinat gratiæ potestatem, distinguens eam per comparisonem ad liberum arbitrium; in secunda inquirat genus gratiæ, & quomodo gratia mereri dicatur, *xxvii. ibi: Si vero queritur, quomodo ipsa gratia præveniens mereatur augeri... ut hoc aperte insinuari valeat, præmittendum est, tria esse genera bonorum.* Prima dividitur in duas. In prima dividit gratiam in operantem, & cooperantem; quæ quidem divisio sumitur secundum effectum quem gratia in libero arbitrio habet. Secundo inquirat de partibus divisionis, utrum dividant gratiam per essentiam, vel secundum rationem tantum, *ibi: Hic considerandum est. (13) Prima in duas. In prima ponit gratiæ distinctionem; in secunda removet quasdam dubitationes, ibi: Non est tamen ignorandum quod alibi Augustinus significare videtur.* Prima dividitur in duas. In prima distinguit gratiam in operantem, & cooperantem; in secunda ostendit ordi-

(12) *Al. utique. (13) Al. deest.* Prima in duas.

Ex EDIT. P. NICOL. (b) Sive Lib. III. Hypognotici cap. iv. quamvis illius opus non sit, sed pervertisti tamen & famosi Auctoris, ex quo id S. Thomas 1. 2. quæst. cix. art. 1. mutuatus est, licet indice non expresso. Responsiones autem hic dicuntur: quia scriptum est opus illud, ut Pelagianorum objectionibus posset responderi, sicut ex initio ejus patet.

nem gratiæ ad bonam voluntatem, *ibi: Itaque bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem.* Circa primum duo facit. Primo dividit gratiam in operantem, & cooperantem; secundo exponit divisionis membra, *ibi: Operans enim gratia est quæ prævenit voluntatem bonam.*

*Itaque bona voluntas comitatur gratiam: non gratia voluntatem.* Hic ostendit ordinem gratiæ ad bonam voluntatem, & circa hoc duo facit. Primo ostendit quod quædam gratia, quæ operans, vel præveniens dicitur, bonam voluntatem præcedit; secundo quod quædam gratia, quæ subsequens, vel cooperans dicitur, a bona voluntate prævenitur, *ibi: Ipsa eadem tamen voluntas quædam gratiæ dona prævenit.* Circa primum duo facit. Primo ostendit quod gratia bonam voluntatem præcedit; secundo ostendit quæ sit ipsa gratia, *ibi: Et si diligenter intendas, nihilominus tibi monstratur quæ sit ipsa gratia voluntatem præveniens.*

*Non est tamen ignorandum quod alibi Augustinus significare videtur.* Hic solvit quæ prædictis contradicere videntur: & dividitur in duas partes, secundum quod duas auctoritates inducit, quæ videntur prædictis adversari. Secunda incipit, *ibi: Caterum questionem hanc magis acunt, & urgent verba Augustini: & utraque dividitur in objectionem, & responsionem.*

#### QUÆSTIO I.

**H**IC queruntur sex.

Primo. Utrum gratia ponat quid creatum in anima.

Secundo. Si ponit, utrum sit substantia, vel accidens.

Tertio. Si est accidens, in quo sit sicut in subiecto, utrum in essentia animæ, vel in potentia.

Quarto. Utrum gratia sit virtus.

Quinto. De divisione gratiæ in operantem, & cooperantem, vel prævenientem, & subsequentem.

Sexto. Utrum gratia dividatur per essentiam in diversis virtutibus, & donis, & hujusmodi.

**A**R T I C U L U S I.

*Utrum gratia sit aliquid creatum in anima.*

1. 2. quæst. cx. art. 1. & cont. Gent. Lib. III. cap. clv. & de ver. quæst. xxvii. art. 1.

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod gratia nihil creatum in anima ponat. (1) Gratia enim acceptionem quamdam ponit in eo qui habere gratiam dicitur, ut scilicet sit acceptus ei cuius gratiam habet. Sed ex hoc quod aliquis dicitur acceptus alicui, nihil ponitur in acceptato; sed (2) in acceptante. Ergo ex hoc quod homo gratiam Dei habere dicitur, nihil in eo ponitur.

2. Præterea. Ut dicitur Sap. xi. Deus diligit omnia quæ sunt. Sed gratia non aliud quam acceptionem dilectionis significat. Si ergo in homine aliquid ponitur supra sua naturalia per hoc quod gratiam habere dicitur, videtur quod in omnibus creaturis aliquid supra naturalia ponendum sit per hoc quod a Deo diligi dicuntur.

3. Præterea. Quanto natura perfectior est, tanto expeditius suum finem consequi potest. Sed natura humana inter alias creaturas, ad minus inferiores, perfectior est. Si igitur aliæ creaturæ sola Dei providentia sine aliquo superaddito suis naturalibus finem proprium consequi possunt, videtur quod multo fortius hæc rationalis creatura consequi possit. Ergo nullo superaddito naturalibus indiget, quod gratia dici possit.

4. Præterea. Ejus est recreare, cuius est creare. Sed ipse Deus solus sine medio animam creavit. Ergo ejus solius est recreare. Si igitur gratia recreare dicitur, videtur quod gratia nihil creatum dicatur.

5. Præterea. Sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ. Sed anima vivificat corpus nullo medio. Ergo & Deus vivificat animam immediate. Non ergo gratia aliquid creatum in anima est, cum per gratiam animæ vivere dicantur.

Ad hoc etiam possunt induci quædam rationes, quæ supra positæ sunt in I. Lib. xvii. dist. de charitate: unde hic dimittantur.

Sed contra. Isidorus (a) dicit, quod gratia est divinæ misericordię donum, per quod bonæ voluntatis fit exitus. Sed dona quæ a Deo percipiuntur, quid creatum in anima ponunt. Ergo videtur quod gratia sit quid creatum in anima.

Præterea. Nullus dicitur esse gratus alicui, si ille in diligendo non errat, nisi per hoc quod aliquid boni in ipso est. Sed Deus in diligendo non errat. Ergo per hoc quod aliquis gratiam Dei habere dicitur, aliquid in ipso præ aliis significatur.

(1) *Al. Gratia acceptionem &c. (2) Al. in acceptione.*

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sic etiam Albertus Magnus in hanc ipsam dist. art. iv. velut ex Isidoro notat sine indice loci, nec apud illum quidquam tale occurrit, sed in Lib. II. de differentiis spiritualibus differ. xxvii. inter gratiam divinæ effusionis, & humani arbitrii voluntatem sic tantum. *Gratia est divina misericordię donum gratuitum, per quod bonæ voluntatis initium, & operis promeretur effectum, supple homo.* Quamvis & ex Lib. II. Sentent. utcumque quoad sensum colligi possit.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod nomen gratiæ quamdam liberalitatem importat: unde ex hoc quod gratis datur, gratia dicitur. Liberalis autem donationis principium est amor: & inde est quod nomen gratiæ dupliciter sumitur. Uno modo pro ipsa acceptione amoris, secundum quod aliquis gratiam alterius habere dicitur qui eum diligit. Alio modo pro ipso dono quod liberaliter datur ex amore: unde gratia dicitur donum quod gratis datur. Utrobique autem modo gratia sumatur, oportet quod aliquid creatum in anima significetur. Si enim pro ipsa divina dilectione gratia accipiatur, pater quod aliquem effectum ejus in anima ponit. Sicut enim scientia Dei a nostra differt in hoc quia nostra scientia causatur a rebus, sua autem est causa rerum; ita etiam noster amor ex bonitate dilecti causatur, quæ ad amorem sui trahit, amor autem divinus bonitatem rebus profundit: unde Dionysius dicit iv. cap. de div. Nomin. quod divinus amor non permittit eum sine germine esse: unde per hoc quod Deus dicitur aliquem diligere, significatur effectus divinæ dilectionis in dilecto esse. Similiter etiam si accipiatur gratia donum gratis datum, oportet quod aliquid creatum intelligatur. Est enim quoddam donum gratis datum quod quidem increatum est, scilicet Spiritus Sanctus. Sed quod hoc donum nunc habeatur, cum prius non haberetur, hoc non ex sui mutatione contingit, sed ex mutatione ejus cui datur. Unde oportet quod ex hoc ipso quod Spiritus Sanctus alicui datur, aliquid ipsi creaturæ accrescat quod prius non habebat, secundum cuius adaptionem Spiritum Sanctum habere dicitur. Unde gratia qualitercumque significetur, ostendit aliquid creatum in anima esse, quod gratis datur; quamvis etiam nomine gratiæ aliquid increatum significari possit, ut vel ipsa divina acceptatio, vel etiam datum increatum, quod est Spiritus Sanctus, potest dici gratia.

Ad primum ergo dicendum, quod quando aliquis acceptus homini dicitur, aliquid in homine significatur unde acceptatur; sed tamen hoc non est causatum semper ab acceptione, immo est acceptionis causa. Sed cum aliquis Deo gratus, vel acceptus dicitur, significatur aliquid in ipso quod ex Dei acceptione causatur.

Ad secundum dicendum, quod cum dilectio Dei bonitatem creaturæ causet, secundum diversos gradus bonitatis in creaturis, diversimode Deus aliqua diligere dicitur, nulla diversitate in ipso intellecta: unde & diligere omnes creaturas dicitur, secundum quod bonum naturæ omnibus tradit; sed illa est simpliciter & perfecta dilectio, quasi amicitie similis, qua non tantum diligit creaturam sicut artifex opus, sed etiam quadam amicabile societate, sicut amicus amicum, in quantum trahit eas in societatem suæ fructificationis, ut in hoc eorum sit gloria, & beatitudo quo Deus beatus est: & hæc est dilectio qua Sanctos diligit, quæ antonomastice dilectio dicitur; & ideo etiam effectus hujusmodi electionis antonomastice gratia vocatur; quamvis & omnes naturales bonitates